

*Missum me fac, vel graviter te scil. tractabo.  
Ego te fustibus, scil. excipiam.*

---

CAPUT XXIX.

APOSTROPHE

est, cùm oratio ad aliam, quam instituta oratio requirit, personam, vel quasi personam, convertitur. *Latinè dicitur Aversio.*

(Dicitur ἀποστροφή *aversio*, *avocatio*, *aversatio* ab ἄποστροφῶ, ψω, *averto*, *revoco*, *averso retrorsum*, *retorqueo aliò*, *flecto*. Sic dicta quia ab ea de qua loquimur, ad aliam personam nos avertimus. Vnde vulgò *Apostrophe* definitur, cùm persona in oratione mutatur compellandi alicujus gratia; vel cùm oratio ad certam aliquam personam convertitur, quæ nominatim appellatur. *Dico vel Quasi personam: quia persona hïc non propriè, sed impropriè intelligitur, ut rebus quoq; mutis & inanimatis tribuatur, ac tanquam impersonaliter accipiatur.*)

2. Modi ejus sunt tres. Vel enim 1. ab hominibus ad Deum fit *aversio*, ut, *Psal. 109. 21. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum. 22. Tu autem Iehovah Domine fac mecum propter nomen tuum, quia suavis misericordia tua.*

(Est hæc *Apostrophe* tum in *Psalmis Davidicis* usitatissima, tum apud *Poëtas* vel maximè illustris, ut in *thematè* tractando & initio & fine *invocatio* ad Deum avertatur, ut *Æneid. 1. Musa mihi causas memora, &c. Metamorph. 1. Dii cœptis adspirate meis, &c.* Divisio autem hæc *Apostrophes* est ex variis personarum adjunctis desumpta.)

Vel